


326



324

330

et ventus flare, ita cum sole amplius non apparente nec venti aliqui remanserunt. Stetimus ergo sic in sinu Laconico taedio-
sissima tranquillitate, et de latere in latus inclinati nunc huc nunc illuc inutiliter ferebamur usque ad tenebras et noctem certe mi-
seram habuimus diemque fieri postulabamus.

320

335

Die XXIX., quae est vigilia S. Andreeae, in noctis medio sur-
rexit ventus impetuosus et nobis ^{et} insidiosus classemque atrociter
invasit et de sinu Laconico in mare Aegeum rejicit, et ingentem
tempestatem habuimus, in qua naves ab invicem separatae. Cum
dies esset facta, nullam videre poteramus in multis horis, iterum
autem, quia mitior ventus advenerat, contra Maleam rostra exten-
dimus (B), et industria magna in golfum Maleaticum devenimus,
quasi contra venti conamen. Mira ergo celeritate iterum ad S.
Michaelis alam properavimus, et aliae galeae, conservae nostrae,
quas perdideramus, advolabant cum Malea pugnaturae. Cum ergo
advesperasset, ad cornu Maleae appropinquavimus, sed cum jam
aciem attingere deberemus, ecce ventus contra nos erupit de hiatu
cum ingenti murmure navemque evolvens rapuit et longe in si-
num Laconicum rejicit, unde magnis laboribus educta fuerat. In
quo facto jam non mirabar antiquorum scripturas, quibus tradunt,
per Maleae hiatum esse descensum in infernum. Sed et alii maris
venti contra nos boabant et mare occurrere impellebant, quasi
S. Michael extenta ala magna ventum et mare contra nos fremere
faceret. Retrocedentibus ergo nobis occurrerunt nobis aliae galeae
contra Maleam celerrima navigatione procedentes, una post aliam,
et videbatur ibi res stupenda et mirabilis, non experto vix credi-
bilis. Nam galeae, quae contra Maleam procedebant pleno vento,
ibi autem et galeae rejectae aequa veniebant similiter repletis velis,
et currebant naves contra se invicem plenis velis, ac si duo con-
traria simul essent in eodem. Sicut ergo nobis contigit in cornu
Maleae, sic et omnibus aliis navibus accidit, mox enim, ut rostrum
aliqua galea extendere coepit ultra Maleae cornu, ventus ipsam
rapuit et expulso priori vento a velo ipsum contrario complevit,
et ita aversa relabebatur. Sicque relapsae sunt omnes galeae in
sinum Laconicum, et noctem turbatam egimus, ut patebit. Erant
tamen nautae nostri in spe, quod S. Andreas, cuius festum in-
stabat et cuius jejunia celebrant pro bono vento, provisionem face-
ret, cum et ipse apostolus sit maris patronus. Eramus etiam

315

375

275

425

225

Ende

Anfang